Magnus effectus est. Hoc mistice de beato Jo
hanne potest accipi quod magnus fuit. virtutibus
et meritis et specialiter in tribus. Mag
nus fuit utique in nocentissima purita
te. propter quod et angelus dici meruit Mt.
xi. Hic est de quo scriptum est. Ecce
mitto angelum meum et cetera. Vere mag
num quidem nomen est sed vita nomine infe
rior non est. Item magnus fuit in rigi
dissima austeritate. videlicet ciborum
et vestimentorum et locorum desertorum
de quibus omnibus in evangelio commendatur.
Item magnus fuit in amicissima ca
ritate. propter quod et amicus sponsi dicitur. Jo.
iii. Amicus autem sponsi qui stat et au
dit eum et cetera. Bernardus. Quantitas cuiusque anime
estimetur de mensura caritatis ut que
multum caritatis habet magna que
parum parva que nichil nichil. dicente
apostolo. Si caritatem non habuero nichil
sum. Sed heu sicut Johannes mitis.
ita multi sunt magni in eis ¶ De
iiii. Mt. v. Qui fecerit et docuit
hic magnus vocabitur in regno celorum.
Officium Johannis fuit docere. et quia
fecit ut docuit magnus fuit.
Magnus autem fuit triplici officio.
Magnus autem fuit officio predican
di. Mt. iii. Venit Johannes baptista
predicans in deserto iudee et dicens.
penitentiam agite appropinquabit enim regnum celorum.
Hoc fuit primum thema Johannis. hoc et
primum thema salvatoris. Item mag
nus fuit baptizandi officio. Solus
hominum baptista fuit. et dei filium
ipse baptizavit. In cuius baptismo
beata ei trinitas apparuit. Item mag
nus fuit officio prophetandi im
mo prophetatum demonstrandi. propter
quod plusquam propheta dicitur. Quem enim

prophetavit ipsum demonstravit cum dixit
Johannis. i. Ecce agnus dei et cetera. Augustinus. Hic gloriosi
agni digitus est ostensor. [illegible]
Ecce sed hunc agnum prophetavit ore. Jo.
autem digito demonstravit. Maria vero in
utero portavit et omnes isti ante fuerunt
sancti quam nati. pensate ergo quam sanctus debet esse
qui hunc agnum non ore prophetare. sed ore
sumere. non digito demonstrare. sed digi
tis tractare. non ventre sed mente portare
debet ¶ De iiii. Mt. xi. Inter natos
mulierum non surrexit maior et cetera. Quam magnus tam mag
no testimonio fuit iohannes. Magnus autem
fuit triplici testimonio. Magnus utique fu
it testimonio humano. Luc. iii. Existima
nte autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis
de Johanne ne forte ipse esset christus et cetera usque
non sum dignus solvere et cetera. Ecce quam magnus
apud homines et quam parvus apud semetipsum
fuit Johannes. Ideo vere in ipso completum est illud
Eccl. iii. Quanto magnus es humilia te in omnibus.
Item magnus fuit testimonio evangelico. unde
angelus ait. Erit enim magnus coram domino. Eya
hoc sic testimonio angelico apparebit in die no
vissimo. si tu sis magnus vel parvus vel
nullus in mundo. Mt. xxv. Cum venerit filius
hominis in maiestate sua et omnes angeli eius cum eo. Intelli
gentes humanorum actuum sub quorum custodia
bene vel male egerunt. Item magnus fuit
testimonio divino. Mt. xi. ubi dixit. Inter na
tos mulierum et cetera. Vere magnus est qui ab domino
magnus est. propterea bene ait Jo. Chrysostomus. Johannes
maior homine par angelis. O felix qui sic
vivit quod a deo et ab angelis et ab hominibus bo
num testimonium habet. Ro. xii. providentes
bona non tantum coram deo et cetera. Ve ergo erit
de miseris. qui malum habent testimonium ab
omnibus hominibus ¶ De v. Job. iii. parvus
et magnus ibi sunt. Magnus est Johannes bap
tista et quilibet magnus inter sanctos. Sic autem

2

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 5, (seq. 5) – Commentarius in loca S. Scripturae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-i1sl/1275/17113)